



Quæstionum, Et Resolutionvm Legalium Libri Duo

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, 1683

Cap. XLVII. De jure cappæ quod soluitur in receptione Canonice. Et de validitate statuti quo jus istud solui mandatur. Et vtrum valida sit consuetudo soluendiali quid Officiariis Capituli, in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98367](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98367)

16 Et istis considerationibus motus Dixi, in æstimando valore bonorum ad effectum solvendi dimidij laudimij (nisi aliter conventum fuerit) debere attendi pretium temporis solutionis: cum generaliter in æstimatione faciendâ attendi debeat tempus & locus quo fieri debet solutio, d. l. quoties 59. ff. de verb. oblig. & ibi DD. maxime Alexand. & l. si hominem 37. ff. mandat. & in l. vinum, ff. si cert. petat. & ita in propriis terminis consuluit Æmilius Ferrer. consil. 2. i. ubi dicit quod communitas Masani tenetur solvere dimidium laudimium Domino illius loci pro molendino, habita ratione ad fructus & redditus qui percipiuntur ex illo molendino de tempore novennij, quo fieri debebat renovatio & solutio dimidij laudemij: quam sententiam sequitur Burg. in tract. de laudim. part. 2. in præf. 6. num. 26.

17 Æstimatio autem rei emphyteuticæ fieri debet hoc casu de tota re, prout tota valet; & non per partes: l. Mævius, §. final. & ibi Bartol. ff. famil. er. dis. und. Idem Bartol. in l. si ex falsis, Cod. de transact. Glos. & Bart. in l. 1. ff. commun. divid. Pinel. in l. 2. part. 3. cap. 4. num. 54. Cod. de rescind. vendit. Oltrad. consil. 235. quem sequitur Tusc. littera E, consil. 670. ubi quod totum æstimari debet ut quoddam totum ex partibus collectum; non autem ut singulas partes, nec habito respectu ad partes, quantum qualibet pars per se considerata valeret: per text. in d. l. 1. Cod. commun. divid. Surd. consil. 217. num. 13. Burat. decis. 538. num. 6.

18 Et in æstimatione domorum & ædificiorum, debet haberi consideratio magnarum expensarum, quæ sunt in illarum manutentione, & reparatione. Scraph. decis. 952. num. 5.

19 Similiter res emphyteutica, ad effectum solvendi laudemium, non debet æstimari tanquam libera; sed cum onere subjectionis, tanquam emphyteutica: Amad. quæst. laudem. §. num. 1. & sic quanti valet utile dominium, sine directo.

20 Deducenda etiam sunt onera super ipsa re imposita, veluti si magnus canon emphyteuticus solveretur: Blancard. ad quæst. laudem. notab. §. num. 3. Licet etiam pro domibus, altis, & ædificiis solvendum sit laudimium: quia ædificium solo cedit, licet redditus sint parvi. Boër. decis. 19. num. 3. † Tamen, regulariter domus parvi fructus & magni valoris non debent æstimari ex valore ædificij, sed ex redditu: quia domus magnæ potius ad ornatum, quam occasione fructuum ædificantur. Joseph. Ludovif. decis. Perus. 65. num. 11. Quod non ita simpliciter verum est: non enim ædificia pretiosa ad rationem quinque pro centenariæ æstimanda sunt, ut advertit Surd. consil. 151. num. 70. sequitur add. ad Ludovif. decis. 553. num. 16. sed æstimatio fieri debet habito respectu ad materiam & formam: & videndum quanti similia ædificia in illo loco communiter venduntur, non autem simpliciter quanti materia & opere constant, nec quantos fructus reddunt: ut bene explicat Marcot. lib. 2. variar. resolut. c. 114. num. 13.

21 Æstimatio autem domus rusticæ non debet fieri principaliter, sed accessorie, in quantum redditu utilis, vel deterius prædium. Rot. decis. 457. numero 3. part. 3. recent.

Secunda quæstio, utrum emphyteuta religionem ingressus, Monasterium statim cogi possit ad vendendam rem emphyteuticam, an verò mors naturalis ipsius emphyteutæ religiosi expectanda sit; & per consequens utrum jus illud indemnitis (quod apud nos est dimidium laudimium quolibet novennio solvendum) exigi possit durante vita religiosi.

22 Tom. I. Pars I.

† In hac quæstione Barbof. de jur. Ecclesiast. lib. 3. cap. 31. num. 11. distinguit inter emphyteusum Ecclesiasticum, & profanum. Ecclesiasticum durante vita monachi tranire in Monasterium testatur, nisi intra biennium revocetur: per text. in authent. de alienat. & emphyt. §. 1. versic. si verò contingeret. Profanum verò in monasterium vita monachi durante indistinctè transire vult. Contrarium tamen in hoc secundo capite in praxi receptum esse testatur, & quamvis agatur de emphyteusi profana, cogi posse monasterium, aut Ecclesiam ad evacuandum intra annum: ut ostendit num. 13.

Verum quod durante vita religiosi non debeat laudemium, cum bona ipso jure transeant in monasterium, probatur ex traditis per Felin. in cap. in presentia, num. 49. extr. de probat. Gratian. discip. forens. 481. num. 69. in fin. add. ad Burat. decis. 394. num. 11. quia per professionem religiosi monasterium legis potestate succedit, juxta authent. ingressi, Cod. de sacrosanct. Eccles.

Consensus autem Domini non requiritur, quando agitur de alienatione à lege inducta, per text. in l. cum pater, §. cum tuer, ff. de legat. 2. secundum unum intellectum. Glos. singularis in l. pater, §. Julianus Agrippa, ff. de legat. 3. Bartol. in l. si ita 95. §. ea lege, ff. de verb. obligat. † Sed tamen si in

26 contractu recognitionis aut concessionis, emphyteuta expressè promiserit se non alienaturum in manus mortuas, prout plerumque fieri solet, non videtur licita translatio in monasterium: cum sit de personis prohibitis, in l. ult. Cod. de jure emphyt. in versic. his tamen personis. Glos. in cap. potuit in verb. prohibentur, extr. de locat. Clar. in §. emphyteusis, quæst. 33. Quia per tacitam istam declinationem bonorum factam Ecclesiæ, contraveniretur pacto, quod tamen pro nunc non decido.

27 Sed Dico quod in Gallia cessat tacita ista bonorum dedicatio, expressa verò omnino prohibita est, & dicta authent. Ingressi, in illo regno abrogata est; & sic non succedit monasterium, etiam si adesset expressa donatio in ejus favorem facta per ingredientem. Louet. litera C, num. 8. & ibi addentes fuisse. Ita ut non posset religiosus, sive major, sive minor in Gallia in articulo suæ professionis, aliquid monasterio vel directè, vel indirectè legaret ut sancitum fuit ordinatione Regiæ Aurelianensi art. 19. & Blesensi art. 28.

Statim enim facta professione monachi in Gallia pro mortuis habentur, & uti ex familia exclusi reputantur: ut in dict. addit. ad Louet litera C, numero 8. Ergo statim in Gallia non expectata morte naturali Monachi, cogi potest monasterium ad dimittendum vel ad solvendum dimidium laudimium suo tempore, nempe finito novennio, aut alias juxta loci consuetudinem.



CAPUT XLVII.

De jure cappæ, quod soluitur in receptione Canonicorum, & de validitate statuti quo jus istud solui mandatur, & utrum valida sit consuetudo solvendi aliquid officiniis capituli in ingressu. Quod si duo ad sine colligantes, quorum unus tantum capitulariter receptus sit, utrum duplex jus cappæ debeat. Obligatio fidejussoris

F 3 pro

66 Petri Francisci de Tonduti Sanlegerij,

pro soluendo jure cappæ, an sit valida, & utrum lite pendente serviens vni beneficio per se, alteri per substitutum ex decreto, vtriusque beneficii fructus lucretur, si secundi possessio illi adjudicata sit.

SUMMARIUM.

- 1 Statutum de soluenda certa summa in receptione novi canonici in utilitatem canonicorum, non valet. Sed vide infra.
- 2 Non licet aliquid capere in ingressu canonici novi, per quod antiqui liberentur ab onere proprio.
- 3 Novi canonici non debent cogi ad soluendum aliquid pueris chori, campanario, & aliis officialibus capituli.
- 4 Confraternitates non possunt cogere novos confratres ad aliquid soluendum. Intellige vt numer. 8.
- 5 Valet statutum Ecclesie, vt novi canonici certam summam soluant pro cappa, vel plurali.
- 6 Ampliatur etiam si statutum diceret non esse recipiendos canonicos, nisi prius soluta cappa.
- 7 Consuetudo soluendi ius cappa in receptione canonici vel dignitatis, non est reprobata a Tridentino.
- 8 Quomodo novi confratres cogi possint ad soluendum aliquid in ingressu confraternitatis.
- 9 Cautiorem recipere licet pro solutione juris cappa faciendæ, & illius obligatio est valida.
- 10 Quæ tacite insunt, licite exprimi possunt absque vitio simonia.
- 11 Licetum est conferre commendam sub conditione soluendi iura consuetæ.
- 12 Pactum fieri potest quod resignans, fructus beneficii resignati habeat, pro rata temporis quo inservit.
- 13 Valet pactum cum resignante factum, quod resignarius ultimum in choro locum teneat.
- 14 Possessio non capitulariter capta, nulla est.
- 15 Gabella non debetur ex actu nullo, vel non effectuato.
- 16 Laudemium non debetur ex actu nullo, aut resolutio ex causa existente tempore contractus.
- 17 Statutum debet intelligi secundum aliud caput eiusdem statuti.
- 18 Statutum quod loquitur de minoribus, debet intelligi de minoribus 20 annorum, iuxta aliud caput eiusdem statuti declarantis minorem ætatem usque ad annum vigesimum.
- 19 Non potest capitulum consequi ius cappa ex receptione canonici impugnata ab ipso.
- 20 Difficilis est exactio juris cappa. Intellige de iure communi, secus ex statuto, num. 21.
- 21 Ius exigendi cappam non transit ad tertium, cum sit actio personalis.
- 22 Qui fuit negligens in exigendo pensionem, non habet pro ea actionem contra successorem.
- 23 Sequestrati fructus debent dari ei cui beneficium fuit adjudicatum.
- 24 Duplex distributio debetur ei qui ex legis permissione duo obtinet beneficia.
- 25 Duo iura competunt ei qui duas sustinet personas.
- 26 Beneficium incomparabile non dimittere quis tenetur, nisi post adeptam pacificam possessionem.

28 Qui duobus beneficiis inservit, debet vtriusque redditus percipere.

Statuto & consuetudine antiquissima Ecclesie Metropolitana: certum est, ut quicumque ad canonicatus possessionem admittuntur, in ipsa possessionis ademptione certam pecuniarum summam pro iure cappa soluere teneantur. Cujus quidem statuti vigore, cum capitulum ageret aduersus canonicum hebdomadariū, non pro iure cappa suæ possessionis, quod iam ipse perfoluerat; sed pro iure cuiusdam colligantis, qui se eiusdem beneficii possessionem prætendebat, quasi capitulo duplex ius cappa pro duplici possessione deberetur; & Canonicus ille hebdomadarius vti canonicatus possessor non modicum, sed & colligantis ius cappa soluere tenebatur: Dixi capituli petitionem nullo iure niti.

In primis enim supponendum est, statutum hoc de soluendo iure cappa in ademptione possessionis, variis obiectionibus impeti posse. Quia statutum hoc vel consuetudo tendere videtur ad privatam canonicorum utilitatem, & per consequens invalidum per text. cum ibi not. in cap. Iacobus 44. de Simon. Liberantur enim canonici ab onere conficiendi ornamenta Ecclesie, ad quod ipsi obstricti fuissent. Vnde laudabilem non esse consuetudinem, qua canonici recipiendi tenentur aliquid dare pro institutione vel reparatione bonorum Ecclesie, cum ex consuetudine privata resultet in fauorem ipsorum canonicorum; censuit Nicol. Garc. in tract. de beneficiis part. 8. cap. 1. numero 90. vbi refert declarationem Sacre congregationis super hoc factam. Et hoc maxime procedere videtur, quia pars aliqua istarum pecuniarum solvitur pueris chori, administratoribus campanariis, & aliis officialibus vel servitoribus capituli, quod illicitum est: ut docet Garc. ibidem numero 91. & part. 3. cap. 2. numero 198. vbi refert declarationem Sacre congregationis super hoc factam, ut ibidem declarat. 9. Unde & hanc consuetudinem aliquid soluendi pro ademptione possessionis, tanquam simoniam, damnare videtur Rebuff. in concord. tit. de reservat. §. final. versic. quoniam etiam inferitur, licet se remittat ad notata per DD. in cap. cum M. de consuetudinibus. Et hac de re multa, licet satis confusi, mittit Cosim. in gloss. pragmat. sanct. tit. de amor. in verb. consuetudinibus. Vbi Probus addit, idem procedere in confraternitatibus, quæ non possunt condere statuta dicentia, quod quis recipi non possit nisi decem soluat: ad quod allegat Præposit. in cap. 1. dist. 42. Prædicta confirmantur ex dispositione Concil. Trident. sess. 24. cap. 14. de reform. & ex constitutione Pij V. quæ incipit: Durum nimis, edita anno 1570. pridie Kalend. Iunii, quam refert & explicat Bonnac. in tract. de Simon. quest. 7. §. 3. & Scott. Epitome 110. theoreme. 298.

Sed tamen necessarium est statutum illud & validum esse & observandum, prout quotidie non solum in illa Ecclesia, sed in pluribus aliis Ecclesiis collegiatis & capitulis ita observari videmus. Ita & in Ecclesia Tholosana quilibet noviter receptus tenetur soluere 40. ducatos pro vna cappa, siue plurali; quia hoc factum dicitur in fauorem cultus divini: sic videtur permutatio spiritualis cum spirituali: ut aduertit Auzer. ad decis. Capellæ Tholof. quest. 311. versic. sed quid si statuto. Quod ampliandum est, ut procedat etiam si statuto vel consuetudine capere non admittatur, nisi prius soluerit: ut notat Cenedo ad decretales, collect. 16. num. 2. vbi propterea dicit consuetudinem antiquam Ecclesie nostre Domini de Pilari validam esse, in qua Canonici, Dignitates,

Quæst. & Resol. benefic. Cap. XLVII. 67

Dignitates, & portionarii noviter recepti solvunt certam pecuniam fabricæ ejusdem Ecclesiæ, ut vulgò dicitur pro cappa. Quæ consuetudo valida est & attendenda, ac de jure servanda, etiam ex mente Concilii Tridentini, quo mandatur observari consuetudinem, qua aliquid in pios usus convertitur, & solutiones duntaxat illicitæ reprobantur: ut etiam notavit Scott, *dicto theorem. 298. colum. 2. versic. per hanc tamen constitutionem*, Bonacin. d. *quæst. 7. de Simon. §. 3. num. 5. Zerol. in prax. Episcop. part. 2. in verb. possessio beneficii*, §. 5. Barboz. ad *dictum Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. num. 11.*

Ideo non obstant contraria, quia procedunt si pecunia illa converteretur in effectum in utilitatem propriam canonicorum; hoc enim illicitum est, quia esset dare spirituale pro temporali, contra juris & constitutionum dispositionem: ut patet ex iis quæ mox in medium atulimus.

Quod autem de confraternitatibus dictum est, intelligendum est ut locum non habeat, quando pecunia illa pro ingressu exsolvi solita, in pios usus convertuntur: tunc enim non solum validum, sed & laudabile statutum esse, vel consuetudinem, ut recipiendi aliquid in ingressu solvere teneantur, docet Sanch. *consil. moral. lib. 2. cap. 3. dubit. 23. num. 8.* cum hoc convertatur in sumptus necessarios confraternitatis, & in usus pios.

Quemadmodum autem licitum est ab ingredientibus, & ab iis qui ad canonicatus possessionem admittuntur, jus istud cappæ effectualiter recipere; ita etiam non realiter exsolvatur, licitum est cautionem de ea solvenda exigere: ut tenet Cosm. in d. *gloss. pragmat. sanction. tit. de annat.* quod probat per text. in *cap. significasti 4. de elect.* ubi dicitur: *et ea quæ tacite insunt, licite exprimi posse absque vitio simoniae*: quod & sumat Sanch. in *consil. moralib. lib. 2. cap. 3. dubio 25. num. 9. versic. At non est simonia*.

Ubi dicitur non esse simoniam, imò licitum esse alicui conferre commendam, eo adjecto modo & conditione, ut solvat quadraginta aureos, quos ex ordinis statuto teneat solvere quisque eam commendam habuerit: quidquid enim à jure permissum est, potest licite in pactum deduci, Campanil. in *diversor. juris canonici, lib. 11. rubric. 27. num. 41.* Ubi propterea inserta & validum esse pactum, quod resignans fructus beneficii lucretur pro rata temporis quo beneficium possedit: unde & in *ex insinuatione de simon.*

habetur, si conditionem tenendi ultimum locum in choro, non esse simoniam; quia de jure inest, Bonac. de *simon. quæst. 6. punct. 1. num. 7.*

His ita constitutis, deveniendi ad resolutionem principalis questionis propositæ, fundatam non fuisse capituli præventionem, in petendo duplici jure cappæ; probatur ex eo quod competitor dicti canonici beneficiarii nunquam acceperat possessionem illius beneficii capitulariter, imò quando comparuit in capitulo, fuit illi responsum, jam fuisse competitori datam possessionem, & de fructibus pro eodem beneficio duobus responderi non posse, si possessionem autem non capitulariter captam, nullam esse certi juris est, Paris. de *resign. lib. 6. quæst. 5. num. 32. & lib. 10. quæst. 6. num. 42.* Castador. *decis. 8. de caus. possess. & propriet. Gonfal. ad reg. 8. in proemio, §. 3. num. 81.* Et in effectu possessio dicti beneficii uni tantum fuit concessa, nempe huic canonico hebdomadario, qui jura cappæ pro sua possessionis adeptione capitulo persolverat, & Et probatur exemplo gabellæ, quæ ex actu nullo non debetur, Jason. in *non dubium, num. 9. Cod. de legib.* Ubi idem esse asserit quando tractatur de actu non effectuato, quia

verba legis vel statuti intelligi debent cum effectu. *l. 1. §. hæc verba, ff. quod quisque juris*, fuscè Afinius de *execut. §. 1. cap. 39. num. 11. & per tot.* Similiter laudemium non debetur ex actu nullo, aut ex actu resolutio ex causa existente tempore contractus. Pap. *lib. 4. tit. 2. art. 29.* Qua de re videatur Amad. à Pont. *quæst. laudim. 38. & 39. Claper. causa 66. quæst. 1.*

Multoque magis præmissa procedunt, quia statutum illius Ecclesiæ, quod alstringit ingredientem ad solvendum jus cappæ, debet interpretationem desumere ex illa parte ejusdem statuti, qua prohibetur hebdomadarios admitti, nisi qui de gremio ejusdem Ecclesiæ fuerint: & sic dictus competitor qui repellebatur à capitulo, tanquam non existens de gremio, & habebat impedimentum proveniens ex ipsiusmet statuti ejusdem capituli, non poterat dici comprehensus in alia parte statuti loquentis de jure cappæ, argumento text. in *l. si cum fundum 126. ff. de verb. signif. Rot. decis. 168. num. 5. part. 4. recent. com. 1.* ubi propterea dicitur, quod statutum Urbis dum loquitur de minoribus, debet intelligi de minoribus viginti annis, secundum dispositionem ejusdem statuti in alio capite.

Propterea cum Capitulum semper impugnaverit admissionem dicti competitoris, non potuit ex actu impugnato commodum juris cappæ reportare: præsertim cum impugnatio sortita fuerit suum effectum, & dictus competitor repulsus fuerit à portione dicti beneficii: ut per Seraph. *decis. 620. num. 5. cum similibus.*

Addebatur etiam, quod difficilis erat exactio contra resistentes & repugnantes pro consequenda solutione istorum jurium: ut dicunt DD. in *dict. cap. cum M. 9. de constitut.* Garc. de *benef. part. 8. cap. 1. num. 86.* sed hæc ratio non militat, nisi in terminis juris communis. Nam existente capituli statuto legitime confirmato, datur actio & petitio pro consequenda solutione istius juris cappæ: nempe conditio ex statuto, quæ est merè personalis, sicut & aliæ conditiones, *§. si itaque*, cum ibi notat, *Insist. de actionib.* & ideo non egrediebatur personam dicti competitoris, nec potest intentari contra dictum canonicum hebdomadarii, qui non est successor dicti competitoris, nec ab eo jus meretur; sed est omnino tertius, & extraneus.

Denique dictum capitulum omnino excludendum erat, qui factio proprio seipsum excluderat, dum oblatam pecuniam, imò & depositam per dictum competitorum expresse recusaverat: & sic, etiam si illi competisset actio contra successorem in beneficio, quæ tamen (ut dictum est) non competebar, ab ea excluderetur propter culpam & reculationem suam, ut probatur à simili de successore in beneficio, qui non tenetur ad pensiones decurtas tempore sui prædecessoris, quando creditor fuit negligens in exigendo. Seraph. *decis. 1351. Garc. de benefic. part. 1. cap. 5. num. 201. Pacific. de Salvian. inspect. 3. cap. 4. num. 626.*

His rationibus motus Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Guillelmus du Nozer, Dominus meus singularis, Rotæ Romanæ Auditor, tunc Vicelegatus Avenionens. inclinabat in favorem dicti canonici hebdomadarii, pro exclusionem capituli ab illo duplicato jure cappæ.

Aliud tamen subtiliter dubium excitavit, quod cum dictus canonicus hebdomadarius possideret antea beneficiaturam in eadem Ecclesia incompatibilem sub eodem titulo, juxta *cap. de multa, et præcedis*, cum similibus, quam beneficiaturam non dimisit, nec dimittere tenebatur, quia canonicatus hebdomadarii

